

evitare possit Christianus, suggestiones, quosdam tamen Christianos eò pervenire posse ut raro sentiant motus illicitos, merito dubitatur, Ebr. XII. 1. Rom. VI. 14. *

46. Licet vix reperiantur exempla eorum, qui post regenerationem omne evitarint peccatum proæreticum; illud tamen simpliciter non esse impossibile, probatur argumento loci Ebr. XII. 28. Rom. V. 20. *

DISPUTATIO X.

De Peccato.

1. Discrimen est inter doctrinam de peccato, quam Spiritus S. in verbo Dei patefecit, & inter notitias naturales, seu disputationes Philosophicas de vitiis in omnibus causis, efficiente, materiali, formali & finali.

2. Peccatum dicitur vitium, malitia, error, delictum, flagitium, facinus, scelus, crimen, culpa. Græce in scriptis Apostolicis dicitur ἀμαρτία, ἀμαρτήμα, ἁμαρτωμα, ἀνομία, ἁμαρτία, ἀπειθεα, ἁμαρτία, ἀδικία, ἀσέβεια, ἁμαρτία. Hebræi octo præcipuè vocabula habent, quibus peccatum vel delictum significatur, quæ vide ap. Dom. Chemnitium.

3. Peccatum est ἀνομία, 1. Joh. III. 4. vel: *Peccatum est à divina lege aberratio graviter offendens DEUM, & ad severam vindictam provocans.*

4. Peccatum in hominibus aliud est Originale, aliud actuale.

5. Originis sive Originale peccatum dicitur in Veteri Testamento malum figmentum humani cordis ab adolescentia, Gen. 8. 21. Peccatum in quo homo concipitur, Ps. 51. 7. Peccatum occultum Ps. 19. 13. Ps. XC. 8. immundities Job. 4. Ezech 16. 4. 5. In N. T. inhabitans, Rom. VII. 13. 20. Lex peccati existens in membris Rom. VII. 23. ἐπιτεταμένον undiq; circumitans & homines occupans. Hebr. XII. 1. Corpus peccati, Rom. VI. 6. Vetus homo, Rom VI. 6. Externus homo, II, Cor: IV. 16. radix amaritudinis Heb. XII. 15. Concupiscentia carnis Gal. V. 16. &c.

6. Apud Veteres Ecclesiæ Doctores vocatur peccatum Originis, sive Originale, naturale Contagium, vitium naturæ, malum
lum